



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**De Honore, Dignis Vel Indignis, Jvste Vel Inivste, Deo  
Semper Jvstissimo, Dato, Negato, Violato**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1650**

§. 1. Adulationes periculosas esse.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48689](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48689)



C A P V T XVIII.

Mirabili DEI iudicio plus prodesse re-  
prehensiones; quàm laudes adulationesq; humanas.

§. I.

*Adulationes periculosas esse.*

**S**I ad libellam veritatis rem exami-  
nes, præstat sæpe carpi, quàm lau-  
dari. Qui carpit, corrigit. Qui  
laudat, superbum facit. Hinc dictum est à  
sapiente: *Meliora sunt vulnera diligentis, Prou. 27.  
quàm fraudulenta oscula odientis. Eò tendit 6.*  
Æsopica fabula famelicæ vulpis ad arbo- Fab. 386.  
rem, cui gallus sublimis & diem cantu salu-  
tans infederat, accedentis. Ibi enim exqui-  
sitis laudibus gallum extulit. Non cristas  
tacuit verticis; non præteriuit radios cau-  
dæ, in falcis modum reflexæ; non omisit  
pennarum irides & splendorem; sed & so-  
noram in eo vocem magnificè prædicauit.  
Ante omnia autem in illo commendauit ar-  
tem diuinandi, lucisq; prædicendæ vatici-  
nia. Quibus encomijs, cùm iam tumere cer-  
neret gallum, atque cristas quàm altissimè  
erigere, hunc demum fraudis epilogū adie-  
cit:



cit: *Vtinam ea felicitas sit mea, tam eximij vatis caput, ut exosculari mihi concedatur!* Galus, qui laudis titillatione inflatus ipse quoque iam se se osculo dignum arbitrabatur; & hanc insuper laudatrici suæ gratiam referendam censebat, ut caput suum illi ad satiætatem basiandum præberet, improuide ab arbore ad vulpem deuolans captus, in siluam deportatus, serò sensit, qualia oscula vulpes destinasset, & affatim derisus est; quòd astuta bestia vate isto diuinoque nihil insipientius neq; vecordius vquam se vidisse diceret. Fabulæ huius epimythium est, assentatores insidiosos esse & noxios. Quade causa etiam Regius ille vates ait: *Corripiet me iustus in misericordia, & increpabit me: oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.* Correptio iusti misericordia est; adu- latio peccatoris crudelitas. Vtiliter Dauidi adulterium Propheta, ciuibus suis diffidentiam Iudith, malitiã Pharisæis Christus, & Ioan. Baptista; duram ceruicem Iudæis, Stephanus; Elymæ mago Paulus dolum & fallaciam obiecerunt. Seduxissent eos, qui laudibus, velut oleo, vnxisse.

Psal. 140.  
5.



## §. VII.

*Adulatores à sapientibus semper fuisse, tamquam noxias bestias, repulsos.*

Quod etiam Ethnici senserunt, adulationibus à se procul repulsis. Tarraconensibus, pro læto ostento, nuntiantibus Augusto, quòd in eius ara palma esset enata: *Apparet, inquit, quàm frequenter accendatis.* Ita adulationem diuinitatis, negligentiaè opprobatione deleuit. Nicefias Alexandro ambigenti muscas, quòd ab illis diceret se morderi: *Magis, inquit, ab alijs, qua plus tui habent, gustato sanguine; adulatores intelligens, qui plus omnibus muscis fugunt.* Quamuis enim sapiens etiam è falsis laudibus perspiciat, qualis esse debeat, vt Crispus Passienus monuit, pauci tamen sunt, qui laudes suas suspectas habent. *Melior est ira risu,* ait Eccles. 7. Ecclesiastes; *quia per tristitiam vultus corrigitur animus delinquentis.* Quia enim amor sui cæcus est, facile credit, vera esse, quæ de se gloriose finguntur. Quare, ne glaucoma obijciatur, animi generosi laudatores suos, perinde vt adulatores, aspernantur. Quid, quòd isti etiam mala laudant? Nam sicut Colax Bianti stupido sic adulatus est: *Plus bibisti, quàm rex Alexander, in quo turpissimum*

Roterot.

lib. 4.

Apopht.

Eccles. 7.

4.

mum